Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



& in annos. & fiant ad inluminandum in firmamento caeli.
ut luceant super terram. & factum est sic. Sicut luminaria
caeli istae quae uidemus posita sunt in signis & in tempora
& in dies & in annos. ut luceant de firmamento caeli his qui
super terram sunt. hoc modo & ia xps inluminans ecclesias
suas. signis dat per praecepta sua. ut sciant quomodo
quis accepto signo fugiat ab ira super uenturam. ut
per dies illos sicut fur eum comprehendat. sed magis per
uenire possit in annum domini acceptabilem. Xps ergo est lux
uera quae inluminat omnem hominem uenientem in hunc
mundum. ex cuius lumine inluminata ecclesia & ita
ipsa lux mundi efficitur. inluminans eos qui in tenebris
sunt. Sicut & ipse xps contestatur discipulis dicens. Uos estis lux mundi. Ex quo ostenditur quia
xps quidem lux est apostolorum. Apostoli uero lux
mundi. Ipsi enim sunt non habentes maculam uel ruzam.
aut aliquid huiusmodi uera ecclesia. sicut & apostolus
dicit. ut ipse sibi exhibeat gloriosam ecclesiam non habentem
maculam. aut ruzam. aut aliquid huiusmodi. Et fe-
cit dominus duo luminaria magna. luminare maius in
principatum diei. & luminare minus in principatum
noctis. & stellas. & posuit eas dominus in firmamento caeli.
ut luceant super terram. & potestatem habeant diei & noctis.